

ad baptismum, in quantum erat quædam professio fidei Christi, quam etiam nos in baptismo profitemur. Inter antiquos autem Patres primus Abraham promissionem accepit de Christo nascituro, cum dictum est ei Genes. 22: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Ipse etiam primus se a societate infidelium segregavit, secundum mandatum Dei dicentis sibi: Egredere de terra tua et de cognatione tua. Et ideo convenienter circumcisio fuit instituta in Abraham.

Ad 1 ergo dicendum, quod immediate post peccatum primi parentis, propter doctrinam ipsius Adæ (qui plene instructus fuerat de divinis), adhuc fides et ratio naturalis in tantum vigeat in homine, quod non oportebat determinari hominibus aliqua signa fidei et salutis, sed unusquisque pro suo libito fidem suam aliquibus signis protestabatur. Sed circa tempus Abraham, diminuta erat fides, plurimis ad idololatriam declinantibus; obscurata etiam erat ratio naturalis per augmentum carnalis concupiscentiæ, usque ad peccatum contra naturam. Et ideo convenienter tunc et non ante, fuit instituta circumcisio ad profitendum fidem et ad minuendum carnalem concupiscentiam.

Ad 2, dicendum, quod legalis observantia tradi non debuit, nisi populo jam congregato, quia lex ordinatur ad bonum publicum, ut in secunda parte dictum est (1. 2, quæst. 90, art. 2). Populus autem fidelium congregandus erat aliquo signo sensibili, quod est necessarium ad hoc, quod homines in quacumque religione adveniant, sicut August. dicit contra Faustum (lib. 19, cap. 11, in fin., tom. 6). Et ideo oportuit prius institui circumcisionem, quam lex daretur. Illi autem Patres, qui fuerunt ante legem, familias suas instruxerunt de rebus divinis, per modum paternæ admonitionis. Unde et Dominus dicit de Abraham: Scio, quod præcepturus sit filiis suis et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini.

Ad 3, dicendum, quod baptismus in se continet perfectionem salutis, ad quam Deus omnes vocat, secundum illud 1 Timoth. 2: Qui vult omnes homines salvos fieri. Et ideo baptismus omnibus populis proponitur. Circumcisio autem non continebat perfectionem salutis, sed figurabat ipsam, ut fendam per Christum, qui erat ex Judæorum populo nasciturus. Et ideo illi soli populo data est circumcisio.

Ad 4, dicendum, quod circumcisio instituta

est, ut signum fidei Abraham, qui credidit se patrem futurum Christi sibi repromissi, et ideo convenienter solis maribus competeat. Peccatum etiam originale, contra quod specialiter circumcisio ordinabatur, a patre trahitur, non a matre, ut in 2 parte dictum est (1. 2, quæst. 81, art. 5 ad 1, et art. 10 ad 2). Sed baptismus continet virtutem Christi, qui est universalis causa salutis omnium et remissionis omnium peccatorum.

COMMENTARIUS.

1. Quamvis titulum hujus articuli D. Thom. indefinite proponat, tamen præcipuus sensus ejus est tractare de convenientia hujus institutionis, quantum ad circumstantiam temporis, et personarum, quibus circumcisio data est, ut ex discursu articuli constat.

2. An circumcisio fuerit convenienter dilata usque ad Abraham. — Duæ igitur quæstiones hic a D. Thoma tractantur. Prima est, an circumcisio fuerit conveniente tempore data, et respondet duabus assertionibus. Prima est, convenienter fuisse dilatatam circumcisionem usque ad Abraham. Hanc probat primo D. Thom. in corpore articuli, quia Abraham primus inter antiquos Patres promissionem accepit de Christo nascituro. Secundo, quia primus se a congregatione infidelium segregavit; sed hæ rationes partim videntur falsum assumere; partim petere principium. Primum patet, quia prius facta est Christi promissio ipsi Adamo, et fortasse aliis ex Patriarchis, Abraham antiquioribus, qui expressam de Christo fidem habuerunt, ut, v. gr., Melchisedech, qui fuit, ut creditur, ex progenitoribus Abraham. Similiter Adam, quamdiu vixit, satis fuit ab infidelibus segregatus; quod si fortasse eo tempore nulli erant infideles, illud est extrinsecum et accidentarium; idemque argumentum fieri potest de Noe, et aliis. Secundo, esto, verum sit, quod D. Thom. assumit, adhuc superest quæstio, cur illæ duæ conditiones requisitæ fuerint tanquam convenientes, vel necessaria dispositio in eo, cui danda erat circumcisio. Ac tandem, si necessariæ fuerunt, cur ante Abrahamum non vocavit Deus aliquem ex antiquis Patribus, eumque ab infidelibus segregavit, et Filium suum ei promisit, ut circumcisionis fœdus cum illo posset inire? Respondetur, hanc quæstionem supponere resolutionem alterius, cur scilicet fuerit conveniens tanto tempore Incarnationem Verbi

differri; cum enim circumcisio, sicut et tota lex vetus, ordinata fuerit ad præparandum Christi adventum, ut constat ex Paulo ad Galat. 3, 4 et 5, eo modo oportuit, circumcisionem, quo et incarnationem, differri, proportionem servata; fuit autem dilata incarnationis, ut homines paulatim ad Christum suscipiendum disponerentur, priusque suæ naturæ infirmitatem agnoscerent, ut postea bonum gratiæ, ut par est, æstimarent; hæc ergo de causa fuit conveniens, homines prius relinqui in sola naturæ lege, cum communibus gratiæ auxiliis, ut suæ naturæ vires experirentur; et ideo tunc non receperunt a Deo determinata signa, aut cæremonias, quibus fidem suam protestarentur, quibus etiam tunc non admodum indigebant, quia fides eo tempore magis vigeat per recentem traditionem, quæ ab Adamo manerat, ut hic dicit D. Thom., in solut. ad 1. Et propterea etiam non oportuit ea ætate segregari aliquem populum, qui propriis ritibus a Deo præscriptis ipsum coleret, quia prius debuerunt homines committi suo arbitrio, et permitti in ignorantias et infidelitatem labi, ut gratia Dei, et incarnationis beneficium magis elucesceret. Postquam vero satis erat genus humanum multiplicatum, ac sufficienti tempore infirmitatem suam expertum, ita ut pene totum esset idololatriæ, et aliis vitiis deditum, oportuit, quasi renovari in mundo fidem Dei et Christi mediatoris, tum ne successu temporis prorsus extingueretur, tum maxime, ut præpararentur homines ad Christum suscipiendum, præsertim illi, ex quibus carnem erat assumpturus; et ideo etiam conveniens fuit, segregari quemdam populum, et cultui divino specialiter dicari, ut et vera religio melius in eo conservaretur, et Christus ex illo decentius nasceretur; hæc ergo de causa dilata est circumcisio usque ad Abraham, qui a Deo vocatus, et ab infidelibus segregatus fuit, ut esset veluti primus parens illius populi, quem sibi Deus specialiter consecrare decreverat; et ideo etiam illi facta est specialis Christi promissio, quæ nemini antea facta legitur post Adam, quia juxta sapientem Dei providentiam totum id tempus fuit opportunum, et moraliter necessarium ad prædictum finem. Hæc ergo de causa merito D. Thom. illas duas conditiones consideravit in Abrahamo, ut illi potius, quam alteri, circumcisio commendaretur, quas in nullo antea inventas esse facile constat; nam cum Adamo non fit comparatio, tum quia ut manifestum

supponitur, non fuisse conveniens hujusmodi determinatas cæremonias a principio generis humani incepisse; tum etiam quia nec tam manifeste constat ex Scriptura, illi esse factam specialem de Christo promissionem, neque facta est eo modo, quo Abraham, scilicet in signum specialis benevolentiæ, et in propriæ obedientiæ remunerationem, juxta illud: Quia fecisti rem hanc, etc., nec denique proprie segregatus fuit Adam a consortio, et cohabitatione infidelium, sicut fuit segregatus Abraham, et pater credentium effectus, ut dicitur ad Rom. 4. De aliis vero Patribus, qui post Adam fuerunt usque ad Abraham, nulla est difficultas, quia, licet expressam fidem Christi retinuerint per traditionem ab Adamo acceptam, nemini tamen facta legitur specialis revelatio, aut promissio, præsertim eo modo, quo facta est Abraham; nullusque eorum fuit a Deo specialiter vocatus, et ad ipsum colendum segregatus. Cur autem nemini antea hæc gratia concessa sit, D. Thom. hic non explicuit, vel quia supposuit facile posse deduci ex ratione dilationis incarnationis, ut satis significavit in solut. ad 1, vel certe, quia hoc maxime pendet ex divina electione, quæ facta est secundum propositum voluntatis divinæ; non enim Abraham electus est, ut illi primum fieret Christi repromissio, et ut pater esset circumcisionis, propter merita sua, sed potius, quia ad tantum munus electus est, ideo accepit merita, per quæ illud consequeretur, ut D. Thom., 1. 2, docet, quæst. 98, art. 4; divinæ autem electionis vix potest ab hominibus ratio reddi.

3. Circumcisio non fuit ultra Abraham differenda. — Secunda assertio D. Thom. in hac priori quæstione est, non oportuisse circumcisionem ultra Abrahamum differri. Hanc ponit D. Thom. in solut. ad 2, et prius supponi debet ex discursu supra facto, oportuisse legem veterem dari aliquo tempore ante incarnationem, quod tempus, quantum fuerit sufficiens, sola divina sapientia ac providentia definire potuit; circumcisio autem fuit professio illius legis, ut constat ad Gal. 5; debuit ergo etiam illa dari ante Christi adventum, nec potuit convenienter dari tardius, quam lex. Solum ergo oportet exponere, cur fuerit etiam conveniens dari ante legem, sicut de facto fuit data plus quam quadringentis annis ante Moysen, propter quod dicitur, non fuisse ex Moyse, sed ex Patribus, Joan. 7. Reddit ergo rationem D. Thom., quia antequam daretur lex, oportuit fidelem po-

pulum congregari, cui daretur; non congregatur autem, nisi signo aliquo sensibili, juxta doctrinam Augustin., 19 cont. Faust., cap. 11. Dices: ergo propter similem rationem debisset baptismus multo tempore institui ante legis novæ promulgationem, ut fidelium populus prius congregaretur, cui lex postea posset promulgari. Quod si dicas, hoc non fuisse necessarium, neque expediens, quia promulgando ipsam legem baptismi, potuit lex Evangelica promulgari, idem de circumcisione dici poterit. Et majori quadam ratione; nam lex vetus propter imperfectionem suam, et præceptorum multitudinem, debuit scripto tradi; ergo circumcisio, quæ pars est ejus, non debuit institui ante tempus legis scriptæ. Respondetur, in primis baptismum etiam fuisse institutum ante promulgationem legis novæ, quæ facta est post Christi resurrectionem; et similiter per baptismum consignata prius fuere præcipua membra, et quasi fundamenta Ecclesiæ, quibus in initio hæc lex data est, et quoad hoc est aliqua similitudo; quoad alia vero est duplex differentia. Prima, quod lex gratiæ supponebat jam fidelium populum congregatum, cui primo prædicanda, ac promulganda erat, juxta illud Isaia 2: *De Sion exibit lex, et Verbum Domini de Hierusalem*; propter quod dicebat Christus: *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*, Matth. 15. Secunda, quia lex gratiæ erat danda universo mundo, et non privato populo, sicut lex vetus; et ideo non oportebat, ut baptismus longo tempore antecederet ipsam legem; maxime cum idem futurus esset auctor et promulgator primus tam baptismi, quam totius legis. Ad aliud vero de lege scripta respondetur, quamvis oportuerit ipsam legem in scripto tradi, circumcisionem tamen, quæ erat veluti præparatio ad legem, non oportuisse in antecedente tempore scribi, tum quia cum esset unicum præceptum, facile poterat memoria retineri, præsertim cum esset solemnitas caeremonia in illo populo, cujus signum et character in ipsa carne manebat impressus; tum etiam quia præsciebat Deus fore, ut per traditionem a parentibus ad filios illo tempore conservaretur, juxta illud Gen. 18: *Scio quod præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini*. Ita fere D. Thom. hic, ad 2, et sumitur ex Augustin. et Damasc., loc. cit.

l. An convenerit certis ac determinatis tantum personis circumcisionem dari. — Se-

cunda quæstio, a D. Thoma in hoc art. tractata, est, an fuerit conveniens, circumcisionem dari, non universis hominibus, sed certis ac determinatis personis. Et respondet aliis duabus assertionibus. Prima est in solut. ad 3, non oportuisse dari universo orbi, sed cuidam peculiari populo. Ratio a priori sumenda est ex dictis circa priorem dubitationem; quia circumcisio data est, ad disponendum populum, ex quo Christus erat, nasciturus; oportuit enim, ut ex fidei populo, et peculiariter Deo dilecto nasceretur; et ideo data est ad segregandum illum populum a cæteris gentibus, et ideo non debuit esse communis omnibus hominibus. Et hæc ratio confirmari potest ex omnibus supra adductis in tractatu de sacramentis in genere, de principali fine instituendi circumcisionem, quod scilicet non fuerit primario propter dandam gratiam, sed propter consignandum Dei populum. Et in idem fere incidit ratio, quam tangit D. Thom., in solut. ad 3, assignando differentiam inter baptismum et circumcisionem; nam baptismus, inquit, continet perfectionem salutis, quam Deus omnibus hominibus procurat, et ideo omnibus datus est; circumcisio autem non continebat salutem, sed figurabat per Christum dandam; et ideo illi soli populo data est, ex quo Christus erat nasciturus. Atque eadem differentia assignari potest inter circumcisionem, et sacramentum legis naturæ; nam, licet hoc non proprie contineret salutem eo modo, quo baptismus continet, tamen datum est pro omnibus hominibus, quia fuit per se institutum, ut aliquo modo esset in remedium salutis, quam Deus vult omnibus hominibus; et ipsa circumcisio in tantum ad salutem profuit, in quantum generalem rationem sacramenti legis naturæ in se includebat.

5. Secunda assertio D. Thomæ est in solut. ad 4, circumcisionem convenienter institutam esse pro solis masculis populi Judaici, et non pro fœminis; cujus rei duplicem rationem reddit: una est, quia data est in signum fidei Abrahamæ, qui futurus erat pater creditum. Secunda est, quia peccatum originale a patre trahitur et non a matre; addi etiam possunt omnes rationes, ob quas fuit conveniens illam caeremoniam constitui in tali signo; nam illud signum non poterat esse commune fœminis, sed tantum viris. Præterea est alia ratio fortasse satis litteralis, quia illud signum præcipue dabatur ad congregandum Dei populum; in unoquoque autem

populo, seu republica, viri sunt capita familiarum et totius reipublicæ; et ideo, ut totus populus esset consignatus et segregatus a cæteris, satis erat, quod viri consignarentur; sic ergo satis etiam fuit dare sacramentum circumcisionis, quod solis viris posset esse commune.

6. *Quinam homines obligati sint ad circumcisionem.* — Sed supersunt circa has assertiones nonnulla explicanda; nimirum, qui homines obligati fuerint ad circumcisionem; neque in hoc constituimus differentiam inter adultos et infantes, nam certum est præceptum solum obligasse adultos, vel ad circumcidendos seipsum, vel ad suos filios, vel etiam servos et familiares. Ad quod exponendum supponenda sunt verba legis, Genes. 17: *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te, circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, et quicumque non fuerit de stirpe vestra*. Circa quæ verba primum inquiri potest, an per hanc legem obligatus fuerit Abraham ad circumcidendos omnes filios suos, vel solum Isaac; et consequenter, an præceptum circumcisionis comprehendit omnes posteros Abrahamæ; an vero solum eos, qui ex Isaac et Jacob originem duxerunt. Quidam enim sentiunt hoc præceptum absolute pertinere ad omnes, quia verba legis sunt absoluta et generalia, scilicet: *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te. Omne masculinum circumcidetur in vobis*, seu, in generationibus vestris. Et confirmari potest ex facto ipso; nam Abraham statim circumcidit Ismael filium suum; et, quod id fecerit ex obligatione et præcepto, colligitur ex verbis Genes. 17: *Tulit autem Abraham Ismael filium suum, et omnes vernaculos domus suæ, etc., et circumcidit carnem præputii eorum, sicut præceperat ei Deus*. Fecit ergo hoc Abraham ex præcepto; ergo eadem ratione fuerunt obligati filii et omnes posterij ejus. Et confirmatur secundo, quia si hæc obligatio coaretanda esset ad Isaac, maxime quia ex ipso erat Christus nasciturus, et ex illo solo erat Judæorum populus propagandus; sed hac ratione etiam Isaac non fuisset obligatus ad circumcidendum Esau, sed tantum Jacob, imo et Jacob potuisset solum Ju-

dam et Levi circumcidere, quia ex eis tantum erat Christus nasciturus. In contrarium autem induci in primis possunt verba Genes. 17. Nam ibi dicit Deus pactum suum esse ad Abraham et semen ejus; notat autem Paulus ad Gal. 3, non dixisse Deum in plurali, *et seminibus*, sed in singulari, *et semini tuo*, quasi in uno, qui est Christus, qui ab Abraham et Isaac descendit; ergo per semen Abraham non intelligitur ibi tota Abrahamæ posteritas, sed solum, quæ ex Isaac profectura erat, et ad Dei populum pertinere debebat. Unde tota illa promissio, quæ Abraham fit in eo capite ante latam legem circumcisionis, ad solos posteros Isaac et Jacob pertinet, scilicet: *Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus, et semini tuo post te, daboque tibi et semini tuo post te terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan, in possessionem æternam, eroque Deus eorum*. Et inferius post latam legem circumcisionis apertissime subditur: *Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac, et constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, et semini ejus post eum; super Ismael quoque exaudi vi te, ecce benedicam ei, pactum vero meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara*. Propter hæc dicunt aliqui, præceptum circumcisionis tantum obligasse Abraham et ejus posteros, quantum ad Isaac, Jacob, et cæteros, qui ex Jacob propagati sunt. Sed in hoc distinctione est utendum, quam docuit D. Thom., in 4, dist. 1, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 1, ad 3; et ibi Durand, quæst. 6; Major, quæst. 5 et alii; nam Abraham obligatus fuit ex præcepto circumcisionis ad circumcidendum Ismael, quia illa verba generalia sunt: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum*; et quia tenebatur circumcidere omnem suam familiam, ut statim dicitur Ismael autem, quamdiu erat in patria potestate, pertinebat ad familiam Abrahamæ; atque idem a fortiori dicendum erit de Isaac, quod fuerit obligatus ad circumcidendum Esau, quia manifeste comprehendebatur sub verbis legis; atque eadem ratione, quamdiu Ismael, vel Esau pertinuerunt ad familiam parentum suorum, obligati fuerunt eadem lege, quoad suos filios, si fortasse Esau eo tempore illos habuit; nam de Ismaele constat, multo prius fuisse a patre segregatum. At vero, quoniam ex præcepto Dei separatus est Ismael a familia Abrahamæ juxta illud Genes. 21: *Ejice ancillam et filium*

ejus, non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio liberæ, ut ait Paulus ad Galat. 4, quia in Isaac (inquit Deus) vocabitur tibi semen, ideo lex circumcissionis, neque eum amplius, neque posteros ejus Ismaelitas obligavit; et idem est de Esau, et filiis seu posteris ejus Idumæis, postquam a familia parentis Isaac separati sunt ex Dei electione, seu reprobatione, juxta illud Malach. 1, et ad Rom. 9: Jacob dilexi, Esau autem odio habui, et posui montes ejus in solitudinem, et hæreditatem ejus in dracones deserti. Quoniam autem in filiis Jacob nulla facta est separatio, sed ex omnibus illis, et eorum posteris congregatus fuit populus Dei, ex quo Christus erat nasciturus, ideo omnes illos obligavit lex circumcissionis. Dices: ergo non licebat Ismaelitis, vel Idumæis uti signo circumcissionis, quia non pertinebant ad eum populum, propter quem consignandum data fuit; præsertim quia illa circumcisio erat professio veteris legis; et ideo, qui illam assumebant, totam legem servare tenebantur, ut dicitur ad Galat. 5; ergo, qui non habebant animum suscipiendi illam legem, neque servandi illam, non poterant licite circumcidi. Respondetur, simpliciter negando sequelam, quia neque aliqua divina lege positiva hoc erat eis expresse prohibitum; nullibi enim est talis lex; neque ex natura rei hoc erat intrinsece malum, præsertim cum hoc fieret ad imitationem quandam, vel parentum, quomodo ait Cyprianus, serm. de Ratione circumcis., filios Esau et Ismael hujus traditionis non fuisse expertes, vel illius populi, cui Deus magna beneficia concedebat; hoc enim modo et Phœnices, et Arabes, et Ægyptii, et aliæ nationes circumcissione utebantur, ut Cyprian. supr., et D. Hieronym., Hierem. 9, testantur. Illi autem populi non utebantur eo signo, ut re sacra, sacramentum aliquod continente, neque ad profitendam aliquam legem; sed solum ex humana quadam consuetudine; et ideo non astringebantur ex vi talis circumcissionis ad servandam legem. Paulus enim, ad Galat. 5, loquitur de homine circumcidente se intentione et ritu Judaico, quomodo etiam Gentiles, licet absolute non tenerentur circumcidi, si tamen prædicta intentione circumcidebantur, sicut facere poterant, ut constat Exod. 12 et Judith 14, tenebantur perpetuo ea lege, et ad circumcidendum filios suos.

7. *Quam late paterat præceptum circumcissionis.* — Secundo quæri potest circa alte-

ram partem illius legis, quæ pertinet ad servos et familiam Abraham; de quibus in primis est dubium, an hoc præceptum obligaverit Abraham, omnes servos, etiam adultos, et infantes, qui vivos habebant parentes incircumcisos, circumcidere. Et ratio dubitandi est, quia verba legis sunt generalia, *circumcidetur tam vernaculus, quam emptitius*; et infra subditur: *Tulit autem Abraham omnes vernaculos domus suæ universosque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suæ, et circumcidit carnem præputii eorum statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus*; ergo ex vi præcepti ad hoc tenebatur. In contrarium vero est, quia nemo adultus cogitur ad fidem sine suo consensu et voluntate; ergo neque ad accipiendum signum fidei. Dices, non posse quidem adultum ab hominibus cogi ad primam fidei susceptionem seu professionem, posse tamen a Deo obligari; ipsumque Deum fuisse auctorem hujus legis, atque ita recte potuisse illa obligare. Sed contra hoc est, quia ea lege Deus nihil præcepit ipsis servis, sed Abraham et semini ejus; ergo ipsi servi per se non obligabantur lege; ergo neque Abraham, nec posterii ejus tenebantur eos circumcidere, nisi fortasse ad summum, eis volentibus et consentientibus. Quod etiam inde confirmatur, nam post illa verba: *Tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur*, subditur: *Et quicumque non fuerit de stirpe vestra*; constat autem, alienigenas et peregrinos, seu alios Gentiles non fuisse absolute obligatos ad circumcissionem, sed solum sub conditione, quæ ponitur Exod. 12: *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, et facere phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, et tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terræ; eadem lex erit indigenæ et colono, qui peregrinatur apud vos.* Atque ex hoc eodem loco oritur alia quæstio de mercenariis famulis, an deberent circumcidi; nam quidam existimant, hos etiam comprehendere nomine vernaculorum; ita Cajet., Genes. 17, ubi vernaculos dicit appellari, qui nati, vel nascituri erant ex familia Abraham et filiorum ejus, videlicet ex procuratoribus et pastoribus ministris et hujusmodi; ita ut ex vi illius legis deberent circumcidi omnes domestici Judæorum. Aliis vero videtur hujusmodi famulos mercenarios nullo modo fuisse hac lege comprehensos, quia nullum est verbum in tota lege, quod eos in rigore complectatur; nam per vernaculos sufficienter intelligi possunt

servi domi nati, et alioqui Exod. 10, videntur hi mercenarii aperte eximi ea lege, nam aliter ibi fit sermo de servo emptitio et de mercenario, ut patet ex illis verbis: *Omnis alienigena non comedet ex eo, omnis autem servus emptitius circumcidetur et sic comedet, advena et mercenarius non edent ex eo.* Ubi emptitius servus circumcidendus dicitur; mercenarius autem non item, sed æquiparatur advenæ, aut alienigenæ.

8. *Primus dicendi modus.* — Tres igitur in hac re invenio dicendi modos. Primus est, legem circumcissionis comprehendisse totam familiam Abraham, quatenus constare poterat ex filiis propriis, servis, famulis, liberis, ac eorum filiis. Et hæc est opinio Cajetani, loco citato, quam sequitur Lippomanus, in Catena, Gen. 17. Eamque sequi videtur Lyranus, Exod. 12; eique favet Ambr., epist. 77, et lib. 2 de Abraham Patriarch., c. 14; favent verba Genesis supra citata, præsertim illa: *Et quicumque non fuerit ex stirpe vestra, quæ absoluta sunt, et voluntarie eis additur aliqua conditio; nam illa, quæ ponitur Exod. 12, non intelligitur respectu familiarium, seu domesticorum, sed respectu eorum, qui omnino erant extra familiam Abraham et filiorum ejus; in loco vero Genesis est sermo de domesticis. Ut autem hæc opinio verisimilior sit, intelligenda videtur in hunc modum, quod Abraham (et idem semper intelligo de cæteris Judæis) teneretur circumcidere omnes masculos familiæ suæ, etiamsi non essent de stirpe sua; ita tamen ut neque adulti absolute cogerentur ad circumcissionem, nec infantes circumciderentur, suis parentibus invititis, sed solum sub hac conditione, si vellent in familia Abraham permanere, atque ita tenebatur Abraham illos circumcidere, si consentirent, aut eos a sua familia separare, si circumcidi nollent; nam, quod deberet, aut posset eos absolute cogere, non est verisimile. Unde, si aliquis infans erat in domo ejus vernaculus aut emptitius parentibus orbatus, illum absolute et sine conditione tenebatur circumcidere, etiamsi non esset de stirpe sua, quia jam non erat aliquis, cujus consensus esset expectandus.*

9. *Secundus dicendi modus.* — Secundus modus dicendi est extreme contrarius, præsertim quantum ad adultos, et eorum filios, ipsis viventibus; negat enim hæc sententia, Abraham fuisse ex præcepto obligatum ad circumcidendos vernaculos, sive famulos, sive servos, aut natos domi, aut emptitios.

Ita opinatur Soto, in 4, dist. 2, quæst. 4, art. 2. Et videtur fuisse opinio Alex. Alens., 4 par., quæst. 7, memb. 3, art. 2; et Bonavent., in 4, dist. 1, art. 3; et Hug. Vict., lib. 1 de Sacram., par. 12, c. 2. Favet etiam Rupert., lib. 5 in Genes., c. 31, dicens, post illa verba Gen. 17: *Et quicumque non fuerit de stirpe vestra*, subintelligendam esse conditionem, scilicet, si ad vestrum populum transire voluerit; cui opinioni favet Scriptura, Exodi 12, ubi generaliter de advenis et de peregrinis adhibetur illa conditio, et idem indicatur de mercenariis; nam, si esset absolutum præceptum illos circumcidendi, non oportuisset de illis potius, quam de filiis dicere: *Circumcidentur et sic comedent*; ideo ergo Scriptura hoc dixit, quia absolute non erat necessarium, servos etiam emptitios esse circumcisos; quamvis ergo forma verborum diversa videatur, tamen sensus est idem, scilicet: Qui comedere voluerint, circumcidentur prius; ergo verba Genesis accipienda sunt juxta sensum, quod in Exodo explicatur. Quocirca juxta hanc sententiam factum Abraham circumcidendi omnes masculos domus suæ potius fuit consilium, quam præceptum. Unde, quod in Genesi dicitur, id fecisse, sicut præceperat ei Deus, juxta hanc opinionem non est intelligendum juxta obligationem præcepti, sed juxta normam et formam præcepti. Vel certe, quia nullus familiarium, aut servorum suorum ei restitit, eo quod omnibus esset dilectus, omnesque eum maxime revererentur, ideo debuit, etiam ex præcepto, illos circumcidere, seu ad circumcissionem admittere, quia licet præceptum absolute eum non obligaret ad eos cogendos, non tamen negabit hæc sententia, obligasse saltem ad eos admittendos, vel etiam invitandos, si ipsi vellent.

10. *Tertius dicendi modus.* — Tertius modus dicendi, medius inter hos, distinguit inter famulos liberos, et servos emptitios, sub quibus (ut opinor) comprehendit a paritate rationis omnes vere ac proprie servos, quocumque titulo in servitute redacti sint; sive quia capti in bello justo, sive quia domi nati ex ancilla; nam omnes hi sunt pretio æstimabiles et emi ac vendi possunt; et ideo generali vocabulo dici possunt emptitii. Dicit ergo opinio, servos emptitios omnino fuisse ex præcepto circumcidendos; reliquos vero famulos mercenarios non fuisse sub præcepto comprehensos, etiamsi essent domi nati et vernaculi. Ita sentit Abulens., Gen. 17, et